

agendi in corpus, & percipiendi quid in corpore nostro fiat, esse materiale. Dicunt: in homine esse duo attributa, cogitationem & extensionem, & sic unam saltem substantiam admittunt, quæ cogitat & extensa est. Magnum est hujus controversiæ momentum, qui enim mentem & corpus confundunt, & animæ immortalitatem negant, fundamenta religionis & civilis societatis subruunt, omnemque præmiorum spem & pœnarum metum in secutura vita tollunt.

§. XVI.

Lubenter fateor, me vel operationes, vel potentias animæ considerantem, nihil materiale cognoscere. Cum res materiales contemplamur, cognoscimus extensiones, varias figuras & motus; sed cum animæ operationes & potentias consideramus, cognoscimus intellectiones, volitiones, judicia &c. quorum omnium sumus conscii. Ex quibus concludimus: subjectum, cui potentiæ insunt, non esse materiale. Nemo percipere, nemoque dicere potest, qua ratione ex materiæ figuris & motibus resultet potentia intelligendi, volendi, judicandi. Distincte cognosco materiam, quadratam, rotundam, vel cujuscunque sit figuræ & quemcunque habeat motum, non esse subjectum cogitationum, & volitionum, quarum nos conscii sumus. Nos substantias cognoscimus per operationes & potentias, & necesse est, ut talia sint subjecta, quales sunt potentiæ & operationes. Potentiæ vero & operationes animæ non sunt materiales, E. nec subjectum materiale erit. Adverto, DEum omnipotentem, præter substantias materiales, etiam alias immateriales, quæ ex nullis particulis compositæ, sed simplices sunt, creare potuisse. Si perpendo, DEum creare potuisse substantias spirituales, sibi quodammodo similes; cognosco substantias spirituales esse possibles. Si experientiam respicio, cognosco tales substantias esse in hominibus, quas animas & mentes cogitantes nominamus. Inde cognoscimus Substantias spirituales immateriales revera existere.

§. XVII.

Dicis: In confesso est, posse duo attributa, cogitationis & extensionis, in uno subjecto concurrere, hominem enim cogitare & esse